Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 501
Quelle:
Copyright:

pridie Magiſtros et dominos meos reuerendos librorum ſcripture ſacre defenſores, qui habitu theologico induti ſua verba ſcripture ſacre deuotiſſime coaptarunt. Ego uero me poſui pro defenſione logice puerorum, ideo mea diſponam verba pro audientia puerorum &c. Id, quod fideliter praeſtat, inſtituto maxime dialogiſmo: *O mi tractatule innocens et iuſte, quid queſo aduerſi hijs tuis condempnatoribus et prelatis ceteris intuliſti. An forte ambicionem ſuperbam in prelatis corripuiſti? Reſpondet tractatulus. Non mei eſt hoc officii ſed hoc pertinet ad Librum de Ciuili dominio* (Wiclefi) *qui mecum eciam eſt condempnatus. An forte inſaciabilem voraginoſamque ſacerdotum auariciam correxiſti. Reſpondet tractatulus. Non ego, ſed ſermones ſuper euangelia per circulum anni hoc fecerunt mecum condempnati* &c. Vides igitur Athletas quatuor ex condicto in arenam progreſſos, non omnino injuria; teſte enim ipſo *Balbino Boh. doct.* P. I. p. 83. *Zbinko ab Hazmburg Archiepiſcopus ſcriptos de haereſi libros comburit*, non nimis magno delectu adhibito, *quae res ſupra modum Univerſitatem offendit, ſic ut cantilenae in Archiepiſcopi ignorantiam ab Academicis componerentur.* Talis fuit illa:

Zbinko Biskup Abeceda ſpalil knihy nic newieda.
Sbinco Epiſcopus Abecedarius combuſſit libros nihil intelligens.

a *Wenceslao* Rege, ut refert *Stephanus Dolanenſ.* in *Antibuſſo* c. 16. *ſub capitalis ſententiae poena* prohibita. Oratorem noſtrum *Simonem de Tiſſnowa* partes ſuas poſtmodum deſeruiſſe motum maxime adhortationibus praedicti *Stephani* Carthuſiae *Olomuc.* Prioris, qui P. I. c. 2. *Epiſtolae ad Huſſitas* eum adloquitur, liquet praecipue e Tractatu ejus Mſ. contra IV. *Huſſitarum* Articulos, quem excitat Cl. *Ungar* ad *Balbini Boh. doct.* P. II. p. 187.

VIII. *fol.* 42. *Tractatus Joh. Wicleffi de Ideis*, ſupra a *Procopio Pilſnenſi* defenſus. Initium: *Tractando de ydeis primo oportet querere ſi ſint ſupponendo* &c. Finis: *Ego autem elegi mihi magis pro probabili quod omnis creatura et ſolum creatura habet ydeam propriam in deo. et ſic eſt finis. Amen.*

IX. *fol.* 54. p. 2. absque titulo Tractatus *Mathematico phyſicus* de Quantitate, de Circulis, de Mixtionibus Corporum et Qualitatum, de Denſitate et Raritate, de Augmentatione, de Motu locali et Alteratione. Ejus initium: *Opinio eſt quod quantum continuum componitur ex non quantis, et hoc ſic. Puncta componunt lineam et linee ſuperficiem* &c. Finis: *limitat natura ſuperiorum quod illorum trium aget. et ſic eſt finis Deo gratias.* Neſcio, an et haec ad *Joh. Wiclefum* pertineant, quem quidem *de Raritate et Denſitate* et *de Motu locali* ſcripſiſſe apud